



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XVII. Esse aliquem hominis erga se amorem rectum, quèmque perfectus Dei amor non excludat, imò veriùs præscribat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

te cui legitima adest facultas absolvendi etiam hujus facinoris reos. Sic ille: & posteaquam Sacerdotali absolutione unum ex iis expiasset, quem tantæ charitatis ardor ad detestanda sua crimina, & eorum veniam rite exponendam impulerat; lætissimus obiit, quòd animæ vitam ei reddidisset, qui corporis sibi mortem attulerat. (*Rho. Ex. Virt. L. 1. c. 3.*)

CAPUT XVII.

Esse aliquem hominis erga se amorem rectum, quemque perfectus DEI amor non excludat, imò veriùs præscribat.

Ex naturæ nihil aliud, quàm suprema ratio, & voluntas DEI est: qui sicut hominem condidit, sic certa quædam jura, tanquam prima totius æquitatis, & rectè vivendi elementa illius animo insculpsit. Jam verò inter leges naturæ nulla est vulgò notior, quàm quæ jubet unumquemque à se diligere: adeò ut nemo unquam vel in extrema, incultissimæque barbarie repertus sit, qui eam ignoraverit, aut vel minimam de illius æquitate dubitaverit.

tationem admiserit. Neque solum hoc illa peculiaris evidentiae privilegio inter ceteras fruitur, verum etiam, cum nulla sit, quae non à plurimis quotidie violetur; hæc adeo cum uniuscujusque propensionibus congruit, adeoque difficilius est illi absolutè refragari, quàm obsequi, ut nedum ab omni retro mundi antiquitate facta tecta in hunc usque diem illius observatio permanserit; sed, quantumcunque etiam futura producat æternitas, nullum adventurum sit tempus, quo non æquè integra perseveret. Et prius, teste Cicerone, poterit à se quisque discedere, quàm appetitum earum rerum, quæ sibi conducant, amittere. (L. 5. de Fin.)

2. Dubitari ergo nequit, quin lex tam antiqua, tam constans, tamque unanimi totius generis humani consensu probata, à DEO promanaverit. Neque obstat, quòd nulla in sacrarum Literarum monumentis ejus fit mentio. Nam primò hoc ipsum argumentum est, adeo per se notam illius æquitatem esse, ut nulla confirmari diserta, expressaque sanctione indigeat. *Fuit dandum hominibus præceptum de dilectione DEI, & proximi, scribit Doctor Angelicus, quia quantum ad hoc lex naturalis obscurata erat propter peccatum:*

verò quantum ad dilectionem sui ipsius: quia quantum ad hoc Lex naturalis vigeat. (1. 2. qu. 100. a. 5. ad 1.) Adde cum S. Augustino, quòd amor sui ipsius accipi potest, vel prout tendit in bonum suum, generaliter sumptum; cùmque quà talis necessarius cuilibet sit, supervacuum fuisset eum præcipi; vel prout in certa quædam fertur sua bona, vera scilicet potius, quàm falsa; & quatenus talis, fat continetur in præcepto amandi DEUM, qui verum est, atque summum hominis bonum. (De Doctr. Chr. L. 1. c. 24.) Modus ergo diligendi præcipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Postremò negat idem sanctus Doctor nullam in lege scripta mentionem fieri de amore hominis erga se ipsum. Cùm enim ea jubeat, diligere ab unoquoque proximum, sicut se ipsum; fat perspicuè declarat, diligendum unicuique esse etiam se ipsum. (1b. c. 25.) Sed, cùm dictum est, diliges proximum tuum sicut te ipsum; simul & tui abs te dilectio non prætermittenda est. Neque itè nostræ huic doctrinæ adversantur sive illæ Christi Domini voces: (Luc. 14.) Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. adhuc autem & animam suam, non

non potest meus esse discipulus; sive unanimis factorum Doctorum consensus, in proprio sui amore accusando, tanquam omnium malorum, & humanæ totius causâ nequitæ. Respondetur siquidem, odium sui à Christo commendatum nihil esse aliud, nisi illius studium virtutis, quæ à vitæ spiritualis magistris mortificatio appellatur, maximèque, si secundum exteriores tantummodo actus spectetur, odii similitudinem præfert: cum illam exercentes eadem, quanquam sinè ullo interiore sui odio, imò ex puro sui amore, adversum se, & cupiditates suas agant, quæ adversum alium agere solent, qui vero, intimèque illius odio incitantur. Atque hunc esse illius vocis legitimum sensum, manifestè colligitur ex præscripto ibidem, non sui duntaxat, sed & suorum parentum odio: quos tamen nemo dixerit odio esse à nobis habendos, nisi metaphoricè, & secundum modò dictam in exteriorum actuum materiâ similitudinem: quatenus scilicet, si fortè à divino famulatu nos contentur abducere; debemus, tametsi integrum in animo eorum retinentes amorem, perinde extrinsecus cum iis agere, nempe illorum consortium fugere, studiisque, & voluntatibus refragari, ac si eos

verè, proprièque odissemus. Quod verò ad sacrorum Doctorem severitatem spectat; in proprio sui amore damnando, nihil moror eorum sententiis subscribere, si amor proprius accipiatur, quemadmodum vulgò accipi solet, non pro quocunque sui amore, sed pro illo duntaxat, per quem homo in se ipso, tanquam in suo fine consistit, sui unius causâ, & finè ullo DEI respectu se amans; cum amor sui DEUM quasi suam normam, suumque ultimum finem respiciens, neutiquam proprius, sed divinus sui amor mereatur vocari. Quamobrem D. Thomas non cuiusvis promiscuè, sed perverso duntaxat erga se amor, quidquid scelerum ab hominibus patratur, adscribendum putavit: *Manifestum, inquit, quod inordinatus amor sui causa est omnis peccati.* (2. 2. qu. 77. a. 4.) Platonem secutus, qui idem senserat, & tantum non iisdem verbis affirmarat, dum scripsit: *Sed revera nimius in se ipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est causa.* (L. 5. de Leg.)

3. Cum igitur constet, posse hominem diversis duobus modis, recto nempe, & pravo se ipsum amare; superest quantum ad geminos hosce amores primum statuere, in quo posita unius bonitas, & alterius pravitas sit;

tum

tum post rite explicatam utriusque naturam adhibere cum ipsis eam regiminis diversitatem, quam Plato cum diversis duobus suis Auditoribus, Xenocrate nimirum, & Aristotele necessariam sibi esse dicebat: (*Laert. in Vit. Arist.*) id est, calcar cum uno, & frænum cum altero. Verùm de secundi vitiosi, & præposteri amoris coërcitione multa mihi erunt in capitibus deinceps secuturis dicenda. Nunc de primo verba facere aggrediens, dico cum D. Thoma: tunc amorem sui esse rectum, cum se ipsum quis amat *propter DEUM, & in rebus bonis*: (2. 2. qu. 44. a. 7.) quando nimirum & illa sibi appetit bona, per quæ ad DEUM suum ultimum finem melius refertur, & illa ipsa non tam sui, quàm DEI respectu sibi appetit. Quæ ut planiora intellectu fiant, opportunum videtur juxta duas partes, unde homo constat, duos ejusdem erga se ipsum rectos amores, amorem videlicet erga animam, & amorem erga corpus distinguere: ostendendo, tum ab eo impletum perfectè iri suimet diligendi præceptum, cum utramque partem, qua explicatum modo est, ratione dilexerit: adeò ut ea bona illis quærat, per quæ ad DEUM melius se habeant, & ea ipsa non tam illarum, quàm DEI respectu illis quærat.

4. Ostendamus id primò circa partem inferiorem, terrenam, cùmque pecudum vulgo communem, quæ est corpus. Hoc, ceu notum cuique est, cælesti suo Domino inservit, adjuvando animam, quâsi naturale instrumentum ad exercitationem illorum actuum, quos ipse vel pro divino suo cultu, vel pro cæterorum hominum utilitate ab ea exigit: quales sunt: orationi vacare, sacras conciones habere, pœnitentium homologes excipere, hæreses confutare, idque genus cætera religionis, & charitatis officia. Ast neminem fugit, corpus hominis, si imbecillum, & malè valens sit, non posse idoneum instrumentum animæ esse ad functionem talium actuum, quin contra pro eo, ut auxilio ei sit, moram, difficultatémque potius ei afferat. Quocirca justus corporis amor consistet in curando, ut integra valetudo, & idoneæ illi vires suppetant ad suum id munus præstandum. Quam illius curam qui negligit, minùs quàm par est, illud diliget, neque in hoc rem DEO gratam poterit facere, imò veriùs ei displicebit, cùm per hanc incuriam ineptum reddat suum corpus ad eos usus, quorum gratiâ à DEO id ipsum accepit.

5. In

5. In obvio, & vulgari exemplo rei veritas melius patebit. Fingamus demandari à Principe famulorum alicui curam equi, quo ad venationem, atque itinera ipse uti confuevit. Haud dubium, quin huic ministerio delectus ad illud rite obeundum, ita gubernare equum debeat, ut ad commodam Principis vectationem quam aptissimus sit: opportunè nempe illum lavans, dstringensque convenienti pabulo, & tempeſtiva quiete reficiens, externaque ab injuria, quantum fieri potest, defendens. Quòd si locò prædictorum avarè illum pascat, iniquis sarcinarum oneribus gravet, assiduo cursu, & labore debilitet, concreto sudore, & pulvere uris æstu, atque algore confici sinat; adeò ut cum tempus aderit, operæ ad præcipuum suum finem, atque usum navandæ, languidus, enervis, fatiscens vix gressum moliatur, tardèque, nec nisi ad exiguum viæ spatium ferre Principem queat; æquòne hic animo rem accepturus videtur, satisque existimaturus ab illo equisone suo muneri factum? Minimè procul dubio, inquires, imò graviter adversus hominem stomachabitur, acribusque verbis illius increpabit socordiam, utpote qui non tam equum, quàm Dominum in equo

neglexerit. Atqui talis prorsus res nostra est :
Non estis vestri, (clamat in literis ad Corin-
thios datus Apostolus) *empti enim estis pretio*
magno. Glorificate, & portate DEUM in corpo-
re vestro ; (Ep. 1. c. 6.) & alibi : *Nemo nostrum*
sibi vivit, & nemo sibi moritur, sive enim vivimus,
Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.
Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.
(*Ad Rom. 14.*) Ità profectò se res habet : cor-
pus, quo constamus, non est res nostra, sed
DEI, sui Conditoris, ac Domini, qui illud
nobis credidit, tanquam sui juris, ac usûs ju-
mentum, quò à nobis nutritum, curatùmque
par oneribus sit, quæ ipse impenenda illi es-
se pro sua glòria censuerit. Si quis ergo im-
modica vigiliarum, jejuniorum, aliarùmque
id genus afflictationum severitate ità suum
corpus enervet, ut præ virium necessariorum
inopia nedum nihil adjumenti ad pias chari-
tatis, & religionis exercitationes animæ affe-
rat, verùm etiam instar oneris, atque impe-
dimenti illius alacritatem opprimat, vigo-
rem debilitet, & conatus irritos reddat ; quo-
tusquisque dixerit : prædictam tractandi cor-
poris rationem consentaneam æquitati, divi-
no famulatu utilitem, dignamque demum esse,
quam caelestis Dominus probeat ? Non dicet

E e

cet

cet enimvero S. Basilius, qui Virgines DEO
 sacras instituens, ita corpus gubernari ab iis
 jubet, ut inservire animæ usibus queat: di-
 versamque illius tractationem nil dubitat ir-
 rationabilem prorsus, ac stultam vocare. (De ve-
 ra Virgin.) Non dicit Cassianus, qui ab im-
 moderata cibi, & somni abstinentia eandem
 provenire homini ad spiritualis vitæ actus in-
 habilitatem observat, propter quam crapu-
 la, & somnus prolixior damnantur. (Coll. 1.
 c. 16.) *Vetus sententia est, ille inquit, nimietas
 etæ jejunii, & voracitas pervenit: eodemque dis-
 spendio vigiliarum immoderata continuatio Mo-
 nachum, quo somni gravissimus torpor involvitur.*
 Nam per excessum continentie debilitatum quomodo
 que ad illum statum revocari necesse est, in quo
 negligens quisque per incuriam detinetur. Non
 dicit S. Ignatius Loyola, consultissimus spi-
 ritualis vitæ magister: qui ad Hispaniensium
 socios scribens: (Bart. Inst. L. 4. n. 17.) in-
 ter cætera nimie austeritatis incommoda hoc
 etiam quasi unum è præcipuis enumerat, quod
 per eam, locò crucifigendi hominis veteris, cruci-
 figitur novus: utpote qui ea de causa inhabilitatus
 remanet ad exercitationem convenientium
 suo statui virtutum. Non dicit Angelicus

qui de afflictatione corporis loquens, negat eam posse placere DEO, nisi sit virtus; virtutem verò non esse, si modum excedat: (2. 2. qu. 88. a. 2. ad 3.) *Maceratio proprii corporis non est DEO accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est, in quantum debita cum discretione fit, ut scilicet concupiscentia refranetur, & natura non nimis gravetur.* Neque dicit Apostolus, & Euangelista D. Joannes: qui fertur minimè alienum ab Apostolici sui ordinis sanctimonia duxisse, si assuetam cælo, & profundis Apocalypseos mysteriis gravidam mentem tantisper eam perdiculæ colludendo remitteret. Et quoniam nescio quis venator fortè superveniens, ludicram illam tanti viri occupationem admirari, ac fors etiam reprehendere intrà animum suum videbatur; scitè, appositèque hominem monuit, quemadmodum ipse venatorium suum arcum identidem relaxabat; ut re poscente rursus adductus majori cum impetu spicula emitteret; sic hominis quoque animum à perpetua in rebus seriis contentione tempestivo aliquo oblectamenti genere avocari oportere, ut redintegratis per brevè illud otium viribus pristinas exercitationes alacriùs resumat. Nam alioquin, nisi remissione qua-

dam rigorem intensionis suæ interdum releuet, ac relaxet: irremisso vigore lentescens virtuti spiritus, cum necessitas poscet, obsecundare non poterit. (Cass. Coll. 24. c. 21.)

6. Neque tamen ita hæc à me disputantur, quasi ignorem, posse & multò quidem facilius in alteram quoque partem peccari. Nam velut ad justam equi gubernationem spectat, necessariæ erga ipsum indulgentiæ opportunam severitatem miscere, assuefaciendo illum labores tolerare, & fræni imperiis subesse, idque qui negligeret, reddens commissum sibi equum nimia obesitate minusabilem cursui, & nulla nisi instinctus sine lege ferri permittens impatientem regimini perperam suo hero inserviret, majorique sibi curæ esse ipsius pecudem, quàm ipsum ostenderet. Non aliter legitima corporis tractatio requirit, ut hoc ad meliùs serviendum caelesti suo Domino consuefiat exerceri laboribus, pati aspera, voluptatibus non necessariis carere, nec quò genii impetus rapit, sed quo à sessore dirigitur, tendere: quique hoc rigoris temperamento erga illud uti prætermitteret, omnia illi blanda indulgens, & nihil duri ab eo exigens, corpori suo potius quàm DEO in corporis cura serviret.

perfectò est modus in rebus, est certa quæpiam moderatè, prudentérque curandi tum equi, tum corporis ratio; & quemadmodum ille neque molliter adeò est habendus, ut piger, cerebrofus, calcitro, & refractarius evadat; neque adeò inclementer, ut præ macie, ac debilitate ineptus suis ministeriis, atque usibus fiat; ità neque hoc debet seu tam delicatè tractari, ut per contumaciam detrectet; seu tam durè, asperèque, ut per virium imbecillitatem nequeat servire animæ, & DEO. Pabulum ei apponatur, quasi jumento, sed ità, ut gestandas sibi esse sarcinas noverit. His oneretur, sed ità, ut earum gestationi quies succedat in stabulo. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus servo.* (Eccles. 33.) Nota est bovis fabula: qui oneratus à Domino supra vires, oravit camelum, itineris comitem, ut aliquam sarcinarum suarum partem in se pateretur transferri, denuntians abnunti fore, ut si nihil indè vellet dorso excipere, totum deinde illud onus cogere- tur ipse unus gestare. Nec denuntiatio eventu suo caruit; cum enim bos consumptis prorsus viribus medio in itinere concidisset exanimis, Dominus detractas ei sarcinas in camelum transtulit, iisque quasi pro auctario

rio bovis quoque corpus adjecit. Exemplum, inquit Plutarchus, animi nolentis ulla in re corpori obsecundare, qui postmodum obsecundare eidem in omnibus cogitur, subque onere illius pressus gemere, quia nimis oneribus illud oppresserit. (*De Sanit.*) Ità animo quoque contingit, ut dum defatigato corpori, & quietem flagitanti nullam remissionem concedere vult; paulò post febre orta, aut vertigine, libris, & disputationibus omisis, cogatur unà aegrotare, ac dolere. Denique qualis esse debeat unicujusque rei usus, nusquam aliunde certius dignosci, quàm ex fine illius potest. Finis, cujus gratiâ corpus accepimus, non fuit, sive ut illud vexaremus, sive ut ei blandiremur, sed ut divino famulatui, propriisque hujus ministeriis studeremus quàm maximè idoneum præstare. Qui fomenta illi negat ad hunc finem necessaria, minùs justo illud amat. Qui fovendo illi studet ultra quàm hic finis requirat, plus justo illud amat. Qui curam huic fini consentaneam illi adhibet, justè illud amat, & ità cum eo agens, non tam ipsi servit, quàm DEO.

7. Sed summa rei est, justam hujusmodi curam non aliâ, quàm divini famulatûs, & obsequii causâ corpori impendere, juxta illam

lam Apostoli regulam , (*I. ad Cor. 10.*) *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam DEI facite:* Adeò ut sumat utique DEI famulus, quod necessarium sibi esse usu comperit, cibi, somni, remissionis, quietis; sed omnia hæc in cælestis sui Domini gratiam, quò scilicet gnaviùs versari in operibus ad ipsius gloriam pertinentibus queat, canens cū Regio Propheta: (*Pf. 58.*) *Fortitudinem meam ad te custodiam:* Ità Domine, chara mihi valetudo mea est, charæ corporis vires: neque illas custodire, quoad possum, ac tueri omittam: sed ut rem tuam: sed quia id à me fieri voluntatis tuæ est: sed quia fervitutum tuam impensissimè amans, nequeo non amare, quidquid ad tibi exactiùs servendum me instruit. Ad hunc igitur nobilissimum finem tota mentis intentione colligendum nobis hìc est, illud etiam, atque etiam cavendo, nè in iis, quæ ad vitam, & valetudinem requiruntur, corpori serviamus, oblectandi illud potiùs, quàm obsequendi DEO causâ. Talis siquidem circa finem perversitas, nedum omni supernaturalis meriti pretio nostram agendi rationem exueret; sed neque legitimum in ea modum nos tenere fineret. Cùm, quàm facilè evenit, ut qui

ab unius DEI amore ad sustendendam cibo, somno, & aliis hoc genus remediis naturæ imbecillitatem movetur, temperanter, & intra necessitatis mensuram id faciat; tam contra difficile, nè dicam impossibile est, ut qui iisdem remediis oblectandi corporis causa utitur, non ea sæpe usurpet, ultra quàm simplex naturæ usus, & divini obsequii rationes requirunt. Unde porrò consequitur, ut plurimi etiam spiritualium virorum, ceu falso opinantur, nihil à se aliud præter DEI voluntatem, & gloriam in sui corporis cura spectari, cum tamen multoties in eo hic, atque illic curando propriam quoque voluptatem respiciant; sic ab huiusmodi errore in alium ipsi finitimum delabantur, appetendi, & quærendi videlicet, tanquam necessaria naturæ subsidia, quæ revera non nisi cupiditatis illecebræ, & mera sunt sensuum blandimenta: errorem profectò tam ordinarium, latèque pervulgatum, & vitari difficilem, ut magnus Hipponensis Præsul, quasi decus rarissimum, & sua excelsius virtute admiretur, eo nunquam seduci; sic DEUM alloquens: *Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est. Ego autem non sum, quia peccator homo sum.* (Conf. L. 10. c. 31.)

8. Quamvis verò perobscurum sit, neque ità promptè dignosci queat, num ad corpus hoc, vel illo pacto reficiendum, purus DEI amor, an sensibilis indè existens voluptas nos moveat; non desunt tamen indicia, unde quisquis suam potius cupiditatem, quàm DEI voluntatem quærit, de propositi sui pravitate possit certior fieri. Duo ex præcipuis adduco; Primum sit, ità comparatum animo esse, ut in dubiis, quæ subinde occurrunt circa peculiare aliquod commodum, utrum nempe supervacuum, an necessarium naturæ usibus sit, controversiam ferè semper corpori adjudicet, commodum, de quo ambigitur, pro necessario saltèm practicè habens, & quasi tale ipsi indulgens. Hæc enim proclivitas ad sententiam secundùm ipsum ferendam nequit aliunde, quàm ex præpostero voluptatum studio originem ducere. Cùm cæteroqui receptissimum tam in humana, quàm in sanctiori Philosophia placitum sit ad prudentiùs discernendum inter duo contraria, illud in dubiis potius debere eligi, ad quod nostri genii appetitus minùs propendet. Unde non modò usitatum, & familiare est sanctis viris, quotiescunque inter duas partes mitiorem unam, severioremque alteram, par u-

trinque rationis pondus apparet, ad hanc potius, quàm ad illam deflectere; verùm Aristoteles quoque, tametsi divinæ lucis expers, apertissimè id docuit. Cùm enim in secundo Ethicorum libro definiisset: virtutem in duorum vitiorum hinc indè circumstantium medio, nempe in justa quadam inter exuperationem, ac defectum mensura consistere; addit ex prædictis duobus vitiis illud ipsi esse magis contrarium, ad quod naturali affectione, & instinctu propensiores sumus; hanc indè practicam regulam eruens, ut scilicet, quando medium virtutis proprium nos latet, periclitamurque ipsius locò alterum ex duobus extremis eligere, ad declinandum id periculum, & recedendum quàm minimè fieri possit à mediocritate, in qua virtus consistit; vergamus in operando ad extremum potius, quod minùs, quàm ad alterum, quod magis ipsi est contrarium, hoc est: potius ad illud, erga quod minùs, quàm ad alterum, erga quod magis à natura impellimur. En Philosophi verba: *Ad quæ naturâ magis sumus affecti, ea medio magis esse contraria videntur. Verbi causâ ad voluptatem naturâ magis sumus affecti; idcirco ad intemperantiam sumus, quàm ad modestiam procliviores: ac propterea intemperantiam*

tia, quæ est excessus, temperantiæ magis contraria est. Quocirca oportet eum, qui medium conjectare vult, à magis contrario recedere. (c. 8. & 9.) Quam doctrinam alibi quoque repetit, eandem ob causam suadens, ut quantum ad labores, nimium potius, quàm minus, quantum verò ad victum, minus eligatur potius, quàm nimium. *Laborando quidem excedere, quàm deficere; edendo verò deficere, quàm excedere salubrius est. Id verò evenit, quòd natura non in omnibus æqualiter distat à medio. Laboribus enim minus, quàm voluptatibus capimur. (L. I. Mor. Eud. c. 6.)*

9. Secundum: finis, ac propositi minus recti indicium est, immodica erga corporis refectiones, quamvis manifestò necessarias, animi affectio; nimirum aviditas in earum expectatione, atque usu sollicitudo, nè aliquo fortè casu deficient, & tristitia, si quando is defectus contigerit. Palàm quippe est, ad nullum ex prædictis affectibus posse nos à divino amore incitari. Non quidem ad appetenda, & sumenda avidius, quæ naturæ usus requirit: cum è contrario per Apostolum jubeat, id à nobis finè ulla animi adhæsiōe, & quasi à minimè facientibus fieri. (1. ad Cor. c. 7.) *Reliquum est, ut &, qui habent uxores,*

tali=

tanquam non habentes sint; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Sed neque ad sollicitudinem de iis capiendam, cum constet hanc à Christo Domino vetitam esse aq̄ud D. Matthæum: (c. 6.) *Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Neque postremò ad tristitiam, & iram, si quid eorum nobis desit. Cum certò noverimus, defectum hujusmodi nunquam posse contingere, nisi per voluntatem divinam: in qua amant nos potius acquiescere, quàm de illa mœre re par est. Quapropter extra omnem controversiam remanet, prædictos affectus, utpote qui amorì divino adversantur, neutiquam ab eo posse excitari, sed à sensibili tantum appetitu, & inordinato erga corpus amore produci.

10. Qui ergo certus esse aliquatenus cupit in curando corpore, haudquaquam à se propriam Epicureorum ritu voluptatem, sed unum, prout sanctis viris mos est, DEI placitum, & obsequium spectari, debet primò necessaria illi quidem subsidia præbere, sed demenso parco potius, quàm liberali, neque
cum

etum diligentia nimis sollicita, ut nihil unquam de plena refectione desiderandū habeat. Ad hanc quippe parsimoniam nequit, nisi à divino amore impelli; cū è contrario ad exactissimam necessariorum curam timeri semper possit, nè terrena quæpiam, & naturalis affectio illum stimulet. Secundò, prospicere corpori debet cum tranquillitate animi, securus, & sui potens instar hominis, qui satisfacere duntaxat suo muneri quærat; non qui diligentia, operæque suæ effectū fortiri modis omnibus velit: adeò ut neque de illius ministerio, præterquam suis temporibus cogitet; neque ad ei consulendum ullis utatur, nisi honestis, & legitimis artibus; neque anxius, inque metu sit, respectu casuum, qui è transverso incurrere, & frustrari curas suas possunt; neque aut de optato harum successu immoderatiùs gestiat, aut perturbetur, si eas fors impediri, & carere suo effectu contingat: sed satis habens, quantum in se erat studii, ad tuendas corporis vires prompsisse; contentus sit illo uti, quale, & quomodocunque affectum, bene, aut malè valens, suisque idoneum, vel ineptum ministeriis DEUS esse voluerit. Similiter, ac qui equum alienum non ex ipsius, sed ex mero Domini amore

cu-

curandum suscepit, nihil molestiæ, ac sollicitudinis animo capit, si Dominus justo minorem hordei commeatum ad illius alimenta sibi suppeditet, dicens intrâ se: equus hic haudquaquam mei dominii est, neque ad me pertinet, nisi cura eum nutriendi secundum pabuli operam, quàm ab illius hero accipio; si huic curæ non est, jumentum suum præ cibi inopia emaciari, ineptumque suis usibus reddi; quidnam hoc meâ interest? *Domino suo stat, aut cadit.* Tertio, non contentum esse illum decet, quòd manè generatim coram DEO proposuerit, nihil se toto illo die obsequii præstiturum suo corpori, nisi ex merito divinæ suæ voluntatis, gloriæque studio; sed in quavis particulari occasione desiderandi, aut indulgendi justam aliquam commoditatem suo corpori rursus profiteri idem debet: propter te, ô Domine! inquires, nimirum ut voluntati tuæ obsequar, utque idoneas ad serviendum tibi vires tuear, hoc commodi, hoc cibi, hoc refectionis, & quietis opto, vel cupio. Et quamvis meus quoque naturalis instinctus eodem propendeat, nolo tamen, ut hæc ejus propensio quidquam momenti ad impellendum me habeat, tua unius voluntate, gloriæque contentus, cujus tantum

tum respectu uti rem hanc agere instituo ;
sic eandem, etsi naturali meo sensui ingratis-
sima esset, nihilo secius peragerem. Hæc,
inquam, profiteri illum necesse est, quando-
cunque in aliqua particulari materia inservi-
re corpori intendit, si certus esse vult, à Deo
uno id agendi causam se sumere. Nam illa
cæteroqui sub diei ortum concepta generalis
voluntas, nisi totius diei spatium expressa, &
vigens permaneat, præterquam quòd timen-
dum sit, nè quo deinde actu contrario revo-
cetur, fieri etiam moraliter nequit, ut ad sin-
gulos reliqui diei actus re ipsa nos impellat :
utpote actus, qui supernaturali ejus impulsu
minimè egent; sed quamvis ea nunquam præ-
cessisset, satis tamen, imò etiam proclivius
ex aliis patrarentur naturalibus causis. Imò
addo, neque satis esse, si in prima singulorum
operum aggressionem prædictam instauretur
voluntas : cum sæpissimè eveniat, in agendi
progressu aliam ipsi deterioris notæ volunta-
tem furtim succedere, & sic ea opera, quæ
spiritu cæperunt, carne consummari : sed requiri
insuper, ut propositum illud, nihil præter
DEUM spectandi in actionibus, quæ ad cu-
ram corporis pertinent, uti illarum singulis
initio auspiciam dedit, sic easdem usque ad
exi-

exitum prosequatur : neque plures prope-
modum exempli gratiâ sint boli, quibus in-
ter mensas famem explemus, quàm actus
voluntatis, quibus eas singillatim ad gloriam
DEI referamus.

ii. Hac porrò agendi ratione qui per-
petuò utitur, palàm est, quantum abjectissi-
mis quibusque actionibus suis, cujusmodi
sunt : cibum, aut somnum capere, aliâque ad
corporis refectionem spectantes, supernatu-
ralis pretii addat : utpote qui in earum qualis
bet scopum sibi propositum habet, nihilo ex-
cellsum, & nobilem minùs, quàm præstantis-
simis quibusque aliis, quales sunt, Eucharis-
tiam sumere, divina contemplari mysteria,
sacrosanctâ Hostiâ DEO litare, ethnicòsque
ad Orthodoxam fidem convertere : sed utraque
que ex una, atque eadem placendi DEO cau-
sa suscipiens, illud utique assequitur, ut, quan-
vis secundùm materiam plurimum inter has,
atque illas intercedat discriminis, spectatâ ni-
hilominus formâ æqualis omnium dignitas
sit, parique omnes ratione ad Christianarum
virtutum, supremam nempe Theologicam
charitatem pertineant. Ac proinde vesci et
DEUM amare, in lectulo quiescere amare
DEUM, calefieri per hyemem amare DE-
UM,

UM, faciem, & manus abluere, amare DE-
 UM, capillos pectere, vel tondere, amare
 DEUM: neque in summa exterior vita quid-
 quam promiscui, & plebeji actus habet, quod
 proprium, & formale divini amoris exerci-
 tium non fit: sanctuario veteri similis, cujus
 non modò candelabrum, & lychnos, sed &
 ipsa instrumenta, quibus emungerentur, &
 vasa ubi reponerentur eorum sordes, aurea
 esse DEUS voluit: *Emunctoria quoque, & ubi,
 quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro
 purissimo. (Exod. c. 25. & 37.)*

12. Roget fortè aliquis, num necessaria
 hæc subsidia, quæ à spiritualibus viris suo cor-
 pori exhibentur, satius sit promptè ipsi, liben-
 tèrque exhibere, uti quando iisdem alienæ e-
 gestati succurrimus; an invito, & repugnanti
 animo, sicut quando morbis cogentibus
 medicas potiones haurimus. Primam enim
 insistentes viam timeri haud immeritò potest,
 nè illorum capiamur illecebris, sensuumque
 potiùs oblectationem, quàm divinam in iis
 gloriam quæramus. Ex altera verò parte,
 ægrò animo corpus foventes, odio potiùs vi-
 dereinur, quàm amore illud prosequi: quem-
 admodum odisse veriùs, quàm amare homi-
 nem famelicum videretur, qui cibum ei qui-
 dem

dem præberet, sed merè coactus, ingrati-
 que, & molestè illum refici ferens. Primi-
 quam quæstioni respondeam, duo in corpo-
 ris cura considerari posse adverto: alterum
 quasi proximum finem omnium, quæ corpo-
 ris gratiâ fiunt: qualitates nimirum, unde il-
 lud ad operandum pro DEI gloria habilis
 evadit, cujusmodi sunt bona valetudo, ido-
 neæ laboribus vires, & sensuum integritas:
 alterum, quasi instrumentum huic fini deser-
 viens, illa nempe cibi, & somni adminicula,
 quæ ad prædictarum illius facultatum produ-
 ctionem, & conservationem faciunt, eique
 subministrari indies pergunt. His ergo ani-
 madversis, dico: nihil rationis apparere,
 quin debeamus, quemadmodum cuivis alie-
 ri hominum, ita nobis etiam optare, quæ
 primum genus spectant, corporis bona, la-
 tarique, & grates DEO agere, quoties nobis
 contingunt. Nam & consentaneum ratio-
 est, ut corpus nostrum amemus, neque ame-
 re illud aliter possumus, quàm vera illi boni
 volendo: qualia nemini esse dubium potest
 quin sint facultates prædictæ: utpote quæ
 nihil detrimenti illi pariunt, & illud aptius
 DEO serviendum, hoc est, ad suum ultimum
 finem efficiunt.

13. Circa verò posteriora corporis bona, quæ velut merapriorum instrumenta appetuntur; fateor quidem, posse virum spirituales nedum finè ulla vitii, aut imperfectio- nis nota, verùm etiam cum merito, & laude virtutis de illis gaudere: ità ut adveniente oc- casione relevandi corpus à fame, siti, lassitu- dine, æstu, frigore, & similibus incommo- dis, hæc illi levamenta, & remedia libenter concedat: sive quatenus ea considerat, quasi pios paternæ DEI providentiæ erga nostram imbecillitatem effectus, quos ideo cum læta, & amanti gratiarum actione à nobis excipi- deceat; sive quatenus intuetur se ipsum, tan- quam possessionem DEI propriam, & con- sequenter, quæcunque justa fomenta sibi ad- hibeat, quasi obsequia ipsi præstita, juxta morem, atque exemplum D. Gertrudis, quæ *sive dormiret, sive manducaret, sive aliud quid commodi suo impenderet corpori, non aliter, quàm si Domino id fecisset, exultabat. Nam Dominum in se, & rursus se in illo intuebatur. Ideo in se quoque illi, & sibi propter illum servire, ac bene- facere gestiebat: quo impleret Dominicum illud: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Se enim minimam existimabat omnium creatura- rum. Ideo, quidquid sibi impendit, minimo, qui ad*

Dominum pertineret, arbitrabatur se impendisse.
 (L. 1. In fin. c. 12.) Sed quamvis verissima
 hæc sint, addo tamen, tutius communiter, &
 respectu illorum, qui nondum confirmati
 sunt, in rerum sensibilibus contemptu, & do-
 minio terrenorum affectuum, salubrius eti-
 am consilium videri, si, qui ejusmodi sunt, ac-
 penitus extinguendum in se ipsis præposterum
 corporis amorem, illiusque fraudes cavendas,
 in omnibus, vel ferè omnibus necessariis re-
 fectionibus corporis omnem ipsi uni sensum
 delectationis relinquunt, neque de voluptate,
 quam indè ipsum naturaliter percipiunt,
 teriori, proprioque appetitûs rationalis actu
 lætentur: quin potius ægre illam ferant, &
 quantum possunt, indè mentem avertere,
 tanquam ab exosæ rei specie contendant.
 blanda illa quidem fomenta, quando sine
 turæ necessitas exigit, corpori re ipsa impe-
 dentes, sed inviti tamen, intimoque cum do-
 loris, & piæ cujusdam quasi impatientiæ sen-
 su, quòd vitam finè iis ducere non liceat in-
 star illius, qui dicebat: *Suspiro, antequam ve-*
medam. (Job. c. 3.)

14. Atque hujus meæ sententiæ adfip-
 latorum habeo tum Magnum Leonem, qui
 præsentis vitæ cursu vetat nos affectu adha-

rere illis bonis, quibus uti re ipsa compelli-
mur. (*Serm. 5. de Fej. Sept. Mens.*) *Peregrin-*
antibus nobis, quidquid de prosperitatibus mundi
occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra man-
sionis; tum D. Augustinum, qui eâdem meta-
phorâ utens exigit, ut mortale quodvis bo-
num sit nobis (*Tr. 40. in Eu. Matt.*) *Instru-*
mentum peregrinationis, quo utamur ad necessita-
tem, non irritamentum cupiditatis, quo fruamur
ad delectationem; tum gentium Doctorem Pau-
lum, qui in illis, quæ suprâ recitavimus, ad
Corinthios verbis, nullum DEI famulis re-
rum corpori blandientium sensum, nisi me-
rè exteriorem, & quodammodo mortuum,
ac sentiendi nescium permittit: jubens nem-
pe, ut, *qui gaudent, tanquam non gaudentes*
sint, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non u-
tantur. Neque hujusmodi erga suum corpus
severitas argumentum est hominis, qui omni
amore illius careat. Nam & naturali lumi-
ne omnibus patet, quoties certæ alicujus vo-
luptatis abdicatio voluptatem aliam parit
multò majorem; plus ab homine se ipsum
amari, si eam voluptatem alterius majoris
gratiâ repudiet; quàm si præfenti illius gustu
fruat; & certissimis divinæ fidei oraculis
constat, unumquemque nostrum, si ex DEI
amo-

amore supervacanea oblectamenta suo corpori neget, neque ipsa necessaria, nisi parca, invitisque, & coactus eidem impertiat; remuneratū à DEO in futura vita iri delectationibus ipsiusmet corporis, si earum supernaturalis excellentia, & sempiterna permanens attendatur, terrena quævis sensuum lenocinia immenso intervallo excessuris. Ex quo utroque principio planissimè sequitur, plus ab eo amari suum corpus, qui præsentis illius voluptates negligit, quàm ab eo, qui se eidem totum immergit: cùm prior exigua, & brevissimæ dulcedinis gustu ipsum fraudans, uberrimam ei acquirat, æternumque gustandam dulcedinem; alter verò nîl pensi habeat hac ipsum fraudare, dum illam tantò inferiorem ipsius aviditati indulgeat. Consequenter à Christo Domino luculenter expressum illius verbis: (*Joa. 12.*) *Qui amat animam suam (mortalem nempe corporis vitam) perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, vitam æternam custodit eam.* Super quæ verba justè exclamat D. Augustinus, (*Tr. 10. Joa.*) *Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat; & ut non pereat, si malè amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt*

stodiendo, nè perdant amando. Summa igitur disputationis totius sit, rectum corporis amorem consistere in gaudento, haud quaquam de illis ejus bonis, ex quorum cupiditate plus damni, quàm emolumenti ipsi provenit, qualia sunt delectationes sensuum; sed iis potiùs, unde nihil detrimenti ipsum capit, cujusmodi sunt commoda valetudo, per quam in præsentis ævo ad divini famulatùs opera est aptius; & gloria cælestis, quam in futura æternitate pro præsentibus divini famulatùs laboribus referet. Hæc enim sinceræ utilitatis bona debet unusquisque, non modò, quantum in se est, laborare, nè defint suo corpori; sed ex animo etiam gaudere, cùm affatim contigisse illi viderit. Quam benevolentem illius curam & DEUS haberi ab omnibus vult, & Paulus Apostolus repræsentatam agnoscit in amore Christi erga Ecclesiam: *Nemo unquam, dicens, carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.* (Ad Ephes. 5.)

15. Idem porrò, quod de amore corporis diximus, servata proportione dici de amore animæ potest, quæ altera nostri pars est, quantò nobilior, tantò etiam dignior amari. Certum quippe est, ipsam quoque propter

DEUM esse amandam : ità nempe , ut primò ex propriis ipsius bonis non nisi ea amentur , & quærantur , quibus ipsa vel habilior ad fer- viendum DEO fit ; vel supernaturaliter à Deo exornatur : qualia sunt exempli gratià hinc dotes ingenii , eloquentiæ , ac doctrinæ ; in- dè habitus virtutum , perspicua rerum cæle- stium cognitio , vividus charitatis fervor , tran- quillitas animi , gratia sanctificans , & beata DEI visio : secundò autem , ut hæc ipsa ejus bona quærantur , atque amentur non ideo duntaxat , quia ipsam perficiunt ; sed potius & præcipuè , quia secundùm voluntatem , at- que gloriam Dei est , illam sic perfici , talem- que illius perfectionem à nobis amari .

16. Neque hoc pacto animam propriam , & spiritualia illius bona diligere , DEI magis , quàm ejusmet causâ , videri cuiquam debet : justus erga ipsum amoris defectus , & extraor- dinaria quædam in DEO amando subtilitas . Si enim in commendationem Dómitiani , ty- ranni veriùs , quàm Cæsaris , licuit Poëtæ ce- nere : (*Mart. Epig. 53. L. 8.*) *Diligeris populo non propter præmia , Cæsar : Propter te populo præmia , Cæsar , amat : & si tantum in Coriolo- no testatur Plutarchus Veturiæ parentis suæ amorem fuisse , ut suas militares adoras nos*

tam haberet charas, quia sibi apud cives gloriam, sed quia matri afferrent lætitiā: *Cæteris quidem finis virtutis erat gloria; huic verò gloriæ finis materna lætitia.* Id nempe ingentium honori, tum felicitati ducebat, ut matri suas audire laudes, & se spectare coronatum contingeret. (Plut. in V. Cor.) quo pacto ulli nimium videatur à nobis DEI famulis pro fine primario totius nostræ virtutis, perfectionis, & felicitatis, non tam nostrum bonum, quàm cælestis Domini voluntatem, & gloriam haberi? Hic certè, si D. Bernardo credendum putamus, scopus est, atque ultimus finis, ad quem omnis amor, & omnia beatorum cæli civium gaudia collimant. (De Dilig. Deo.) *Delectabit sanè, in ea puri, perfectique amoris regia, non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quod ejus in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videbitur.* Idemque adhuc expressius testatur sanctus Genevensis Antistes, Franciscus Salesius: *Angeli, & reliqui Cælestes nihil amant ex ullo alio fine, quàm ex amore bonitatis divinæ, & placendi DEO causâ. Flagentissimè amant se invicem: amant nos quoque, amant virtutes: sed totum id merè, ut DEO placeant. Sectantur, & exercent virtutes, non quatenus pulchræ sunt, & amabiles, sed quatenus Deo*

grata. Amant felicitatem suam, nequaquam, prout felicitas sua est, sed prout placet DEO. Amant quoque amorem suum erga DEUM, non quia in ipsis est, sed quia in DEUM tendit: non quia sibi suavis, sed quia acceptus DEO est: non quia à se concipitur, & possidetur, sed quia DEUS illum donat, eoque delectatur. (Theot. p. 2. L. 5. c. 13.) Ità egregius ille amoris divini præceptor: qui in subsequenti etiam capite, Lectores provocans ad spiritualia sua bonific diligenda, cùm peculiaris exempli gratiã proposuisset actum strenuè in bello pugnandi, ad quem variis à virtutibus, putà fortitudine, magnanimitate, obsequio erga suum principem, publicique boni studio incitari homines possunt, subdit: *Descendendo itaque ad praxim, ego pugnae aleam hisce omnibus de causis subibo: sed ut illæ omnes ad eminentiorem divini amoris gradum consurgant; dicam intrà me: O æterne DEUS! qui charissimus amorum meorum omnium amor es, si fortitudo, si obsequium erga principem, si amor patriæ, & magnanimitas grata tibi objecta non essent; nequaquam ego ab illis impelli, prout nunc impellor, me sinerem. Sed quoniam placent tibi hæ virtutes; oblatam eas exercendi occasionem amplector, nolens ceteroquin earum instinctum sequi, nisi quia eas tu amas, &*

vis. Cernis, dilecte mi Theotime, per hanc voluntatis elevationem, omnes rectè agendi causas odore, & suavitate amoris afflari: neque enim eas sequimur, tanquam causas merè honestas, sed tanquam à DEO amatas, & volitas. Redigamus ergo omnes virtutes sub imperium, & ditionem charitatis. Amemus singulas, magisque eas, quæ cæteris præstant, non quia præstantiores suapte naturâ sunt, sed quia chariores DEO. Ità sanctus DEI amor omnium quasi anima, & vita erit virtutum, easque universas amantes, amabiles, & supra quàm amabiles reddet.

17. Hucusque sanctus Præsul. Postcujus doctrinam nihil mihi jam superest, nisi ut tractationem hanc concludens definiam, qui pro eo, ut amet, quærâtque dicta illa paulò antè sincera, & præcipua animæ bona, amat, quærítque alia, præterquam quòd inferioris bonitatis, supernaturali etiam illius perfectioni, ac beatitati contraria, utpote quæ suo usu, affectuque perfectam illius cum DEO conjunctionem præpediunt; ab eo inordinatè amari animam, quia minùs, quàm amandâ esset. Ab eo, qui præstantissima quidem animæ bona amat, & quærít; sed ità, ut finè ullo neque expresso, neque implicito, & virtuali ordine ad DEUM ipsam pro unico, ul-

timóque sine volendi habeat; inordinatè itidem eam amari, quia ultra, quàm amanda esset. Ab eo demum, qui & vera vult ipsius bona, & pro sine primario ea volendi placitum, atque obsequium DEI habet, ordinatè ipsam amari, quia secundùm convenientem rebus creatis mensuram. Quamvis ità illam amare propter DEUM, & minùs DEO fit, teste D. Augustino, plùs illam quodammodo, hoc est cum majori illius emolumento amare, quàm si in ea una, tanquam in suo sine, atque centro ejus amor subsisteret. *Sed cum DEUS magis diligitur, quàm animus, ut homo malit ejus esse, quàm suus; tunc animo verè, summèque consulitur. (Aug. in Lib. 83. qu. 36.)*

CAPUT XVIII.

Quinam nostri amor sit pravus, & perfecto DEI amori contrarius: deque duplici arte, ad eum in nobis extinguendum idonea.



Idimus tunc rectum, & ex divini amoris norma esse hominis amorem erga se ipsum, quando is suum corpus, suamque animam